

035

033

039

029

044

024

084

134

20

et sanctis clementissima, legibus et praeceptis ordinatissima, ad contemplandum quietissima, ad operandum convenientissima, ad studendum congruentissima, religiosis devotissima, ad influxum divinae gratiae dispositissima, Iudaeis dilectissima, paganis acceptissima, christianis desiderabilis et propriissima. Ideo dicitur lacte et melle manare, vino et oleo fluere, frumento, hordeo, et omnibus fructibus abundare. Quapropter pro hac terra certant universae gentes, et omnes gestiunt totis conatibus et viribus eam possidere. Nec est gens sub caelo, quae non credat et confideatur, eam solam sanctam esse et divinam. Unde ob id peregrinantur ad eam Saraceni, Turci, Arabes, Barbari, Iudei, Christiani tam orientalas quam occidentales, haeretici, schismatici, et de totius mundi angulis procedunt ad videndam terram illam.

Resultat autem tam immensa terrae hujus dignitas ex eo, quod Deus omnipotens, in cuius manu sunt omnes fines terrae, videtur quodammodo eam singulariter dilexisse, ex qua dilectione ejus singularis sanctitas oritur.

Singularis autem Dei dilectio ad terram illam patet ex multis.

Primo, cum Deus hominem voluit creare ad imaginem et similitudinem suam, singulariter ex limo hujus terrae formavit corpus Ade in agro Damasceno juxta Hebron, ut dicit Magister. 2 Sententiarum . . ex verbis Johann. Damma. Et omnes Hebrei et catholici Doctores.

Secundo. Huic terrae Deus primo providit et incolis et habitatoribus. Nam cum Adam creatus esset in agro praedicto, statim translatus fuit in paradysum, sed eo peccante repositus fuit de paradiso cum Eva uxore sua ad agrum, ubi creatus fuerat, ut terra illa primos incolas haberet.

Tertio. Electos et sanctos de aliis terris in hanc venire jussit, ut patet de Abraham Gen. XII. v. 1. Et de filiis Israel. Exodi per totum. Quos cum terribilibus signis induxit in terram istam.

Quarto. Speciales leges filiis Israel praedicit, quomodo in hac terra vivere deberent, ne eam contaminarent et polluerent.

Ende

Anfang

